Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Irregularitas Dispensatio & absolutio

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

tr.21.diff.2.num.8. quia, ſicut irregularis validè conſecrat, ita etiam validè abſolvet. Adverte autem, quòd talis abſolutio eſſe poſſet invalida ex defectu pœnitentis, ſi peteret ſcienter abſolutionem ab eo, qui non licitè abſolveret, niſi excuſaretur bona fide. *part. 4. tract. 2. reſolutione* 68.

Item non poteſt recipere beneficia. At ſi ei conferantur, collationem probabile eſt fore validam.

4. Tertius effectus irregularitatis eſt, reddere hominem inhabilem etiam ad obtinenda beneficia. Et DD. communiter apud Sayrum *lib.6. cap. 2. num. 21.* tenent, collationem beneficii factam irregulari eſſe ipſo facto nullam, ac ſi facta eſſet ſeculari, quia beneficium datur propter exercitium Ordinum, quod irregularitas impedit. Sed contraria opinio Sylveſtri *verb. excommunicatio numer.4.* eſt probabilis; quia ſicut irregularis validè retinet beneficia, ita etiam validè poteſt nova recipere, cum in utroque caſu requiratur exercitium Ordinum. Ad argumentum ſupra factum negari poteſt conſequentia. *part. 4. tractat. 2. reſolutione 79. & parte 7. tractat.12. reſolutione 7.* An verò poſſit adminiſtrare per alium, & reſignare in favorem tertii, vide *part. 10. tractat. 8. reſolutione 14. & part. 11. tractat. 5. reſol.1.*

5. Simoniacum occultum non incurrere irregularitatem probabiliter defendit P. Bordonus *in Bull. Cruc. part 3. tr.2. cap.1. ſect. 4. num.* 30. licet oppoſitum plures teneant. *p.10. tract.15 reſol. 9. verſ. Hanc etiam.*

6. De irregularitate illegitimi, vide *verb. Illegitimus.*

IRREGVLARITATIS
Diſpenſatio, & abſolutio.

Irregularitas ex delicto tolli poteſt per Bullam, Iubilaũ, &c. extra confeſſionem.

7. POſita probabili ſententia, quod irregularitas proveniens ex delicto, & quæ eſt pura pœna peccati, veniat nomine cenſuræ; & poſita item probabili ſententia Trullench. *ex part. Bullæ, lib.1 §.7. cap. 2. dub. 18. numer* 12. quòd cenſuræ abſolvi poſſunt extra Sacramentum Confeſſionis, prædicta irregularitas abſolvi poteſt extra Confeſſionem, & ſic à Confeſſario abſente habente ſcilicet facultatem ex Bulla, privilegio, &c. *part. 4. tractat. 2. reſolutione* 103.

Quis abſolvere poteſt confeſſarius per Bullam?

Quas Epiſcopus? Prælatus Regularis?

8. Quas irregularitates abſolvere poſſit Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ, inquire *verb. Bulla Cruciatæ quoad cenſuras.*

9. Quæ irregularitates ſint diſpenſabiles per Epiſcopum, & Prælatum Regularem, require *verb. Epiſcopi juriſdictio in irregularitates & verb. Prælati Regularis juriſdictio in diſpenſando*, ſed confeſſarius Regularis poteſt abſolvere, & diſpenſare virtute Cruciatæ, Jubilæi, & ſuorum privilegiorum ſuper irregularitate, excommunicationis, vel ſuſpenſionis ordinum ſuſceptione, cum ſuſpenſione, quæ abſolutio poteſt dari extra Sacramentum Confeſſionis. Fragoſus *part. 9. tractat. 8. reſolutione* 50.

Regularis poteſt diſpenſare in irregularitate virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, & ſuorum privilegiorum.

Comiſſarius Cruciatæ?

10. Quæ irregularitates ſint diſpenſabiles à Commiſſario Cruciatæ, inquire ſuprà *verb. Commiſſarius Cruciatæ.*

Quæ tolluntur per Baptiſmum, &c.

11. Quæ verò tollantur per Baptiſmum & quæ per profeſſionem Regularem, dictum eſt ſupra *verb. Irregularitas, num.* 7.

IVBILÆVM
Quoad requiſita.

Iubilæum eſt Bulla concedens Indulgentiam, & alia privilegia præſtantibus certa opera.

1.† JUbilæum eſt indultum Pontificis ad excitandam fidelium devotionem in publicis neceſſitatibus emanare ſolitum. Indulgentiam plenariam inſtar anni ſancti, & pleraque privilegia certa opera in Brevi præſcripta præſtantibus concedens. Quæ quidem opera ut plurimùm ſunt jejunia, viſitatio Eccleſiarum, confeſſio, communio, eleemoſyna; de quibus primo loco agendum, prius quidem de omnibus in communi, deinde de ſingulis in particulari.†

2. Igitur hæc opera præſtari poſſunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN